

DE  
MICTOPHARMACO-  
MANIA,  
DEQVE MAJORI MEDICINÆ  
CERTITVDINE EX VSV SIMPLI-  
CIVM MEDICAMENTORVM PRÆ COM-  
POSITIS ACQVIRENDA.

---

PARS POSTERIOR.

---

QVAM,  
CONSENSV FACVLTATIS MEDICÆ,  
P R Æ S I D E  
CHRISTIANO STEPHA-  
NO SCHEFFELIO,

MED. DOCT. ET PROFESSORE REGIO ORDINARIO,  
H. T. FAC. SVÆ DECANO,

D. DECEMBR. MDCCXXXVI.

PUBLICO EXAMINI SVBMITTIT  
BVRCHARDVS HENRICVS  
BEHRENS,

GRAMZOVIO-POMERANVS,  
MED. STVDIOSVS.

---

G R Y P H I S W A L D I Æ,

---

IMPRESSIT CAROLVS HÖPFNERVS, REG. ACAD. TYPOGR.

V I R O  
PRÆNOBILISSIMO, EXPERIEN-  
TISSIMO, AMPLISSIMO,  
DOMINO,  
D O M I N O  
MARTINO WENTZELIO  
SCHMIDIO,  
MEDICINÆ DOCTORI NEC NON PHYSICO  
CIVITATIS NEO - BRANDENBURGICÆ  
FIDELISSIMO. MERITISSIMOQVE,

*FAVTO RI AC PATRVELI SVO  
AMANTISSIMO,*

HNCCÈ PRIMVM STVDIORVM SVORVM FRVCTVM SACRARE  
ET SVAM OBSERVANTIAM, PIETATEMQVE TESTAKI  
VOLVIT DEBVIT

BVRCHARD HINRICH BEHRENS.



### CAPVT III.

DE

## MICTOPHARMACOMANIÆ VANITATE.

§. I.



Ordo jam exposcit, ut vanitatem Mictopharmacomania edoceamus. Hæc autem omnium statim incurrit oculos animosque, quicumque modo sine partium studio rem omnem æqua animi lance ponderare volunt. Quodsi enim affectatæ illius compositionis modos varios, de quibus capite II. §. 4. fuit actum, excutiamus: quodsi porro tot causas illius, eodem capite §. 5. ad 12. recensitas, in memoriam reuocemus; omnino fatendum est, non tantum & hic verum esse illud THEOCRITI: πολλάκις τὰ μὴ καλὰ καλὰ πέφανται, sed & dignam mictopharmacomaniam, quæ ex republica medica proscribatur inque æternum agatur exilium. Vt vero

A 2

eo

eo magis levitas micthopharmacomanie manibus quasi palpanda exhibeatur, ulteriori eandem censuræ nostræ subjiciamus.

§. II.

Ante omnia vero in genere monendum, notam prudentiæ esse, *si omnia non solum ordine, sed & per vias simplicissimas peragantur*: adeoque etiam principium illud medicum esse verissimum: *quod potest fieri per pauca & simplicia, id non fieri debet per plura & composita medicamenta*: entia enim nec in medicina præter necessitatem sunt multiplicanda. Ipse sane Deus provide & benigne nobiscum egit, dum sapienter in quovis simplici particulas pondere, numero & mensura miscuit: nullum enim est medicamentum præclarum, quod non a natura præcipuas habeat vires: unde etiam remedia non hominum, sed Deorum manus dicuntur. Neque simplicia illa, quæ nobis a tribus illis naturæ regnis vix numerando numero in usum medicum offeruntur, sunt simplicia. Quod autem simplicia dicantur, id fit, ratione habita compositionis ab arte accedentis. *A natura enim diversis partibus sunt conflata, quæ etiam arte possunt separari, ut loquitur SCHERBIUS Tbes. Med. p. 176. §. 4. Quocum consentit ANDREAS VESALIUS Chirurgie magn. Lib. VII. Cap. I. p. 1131 & 1132. edit. novissima, quæ Lugduni Batavorum 1725. prodiit: ubi ita: simplicia dicuntur, quibus mistio nulla artificiosa a nobis accessit, etiamsi sint ex substantiis natura diversis composita.* Hoc ipsum quoque PAULVS HERMANNVS in *Cynosura Materie medicæ*, ejusque continuator JOHANNES BOECLERVS, igne chemico obstetricantes præbente manus, dederunt aperitissimum, modo sibi cavissent de vulgari illo, sed erroneo plane dogmate chemico: *omne illud, quod per chymicum ignem ex concretis producitur, actu in iis existit*: siquidem multa saltem potentia rebus insunt: ignis quoque non est idoneum instrumentum, quod omnia corpora naturalia in ea dividit, ex quibus primum coaluerunt: potius mutat corpuscula, & in aliam formam transponit: immo corrumpit, & alieni quid affricat, ita ut ex veteribus nova, quæ ante non exstiterunt, producat. Conf. CONRING de principiis chemicis corporum naturalium.

*ralium.* SCHELHAMMER in *Disputationibus de corporum per ignem resolutione chemica.* it. NEVMANNVS in *Lectiōibus chymicis de salibus alcalino fixis* p. 13. ad 33. RAMAZZINI in *Operibus* p. 290. Dum itaque alma rerum natura tot sapienter ac diversimode mixta nobis largita sit sanitatis adminicula; cur imprudenter fucum, qui vitii latentis signum est, tot compositorum & componendorum admemus medicamentorum, quasi Deus in opere defecerit, & simplicia vires exferre nequeant, nisi a medicis multipliciter & incondita farragine jungantur.

§. III.

Consideremus porro *morbos eorumque causas*: & manifestum erit, plurimos non tantum morbos simplices, paucos vero complicatos; sed etiam causas illorum esse simplices, simulque paucas. Cum itaque indicationes curandi etiam simplices esse debeant; nonne iterum imprudentis est medici, morbo causæque simplici composita opponere velle simplicia: cum pauca selectiora, usuque decenti continuata remedia sufficiant, de quibus ex sæpe repetita observatione practica certo scimus, sub quibus circumstantiis hunc vel illum edant effectum. Hinc AVICENNA egregie dicit: *Et parum medicinarum melius est plurimo in intentione una.* in *secundi & quinti Canon. principio.* Cum enim contraria contrariis curentur; hic scopus non tam feliciter obtineri potest per composita, quam per simplicia. Quodsi enim diversæ naturæ misceantur remedia,

*Frigida ubi pugnant calidis, humentia siccis,*

*Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus;*

medicamentum, quod demum causæ morbi contrariatur, & a quo unicum præsidium sperabatur, languidius fit, immo plane pervertitur: cum contra simplex remedium adhibitum, quia magis sui est juris, longe promptius suas exferat vires. Quodsi vero omnia cujusdam compositi ingredientia unius ejusdemque plane sint naturæ; non quidem unum alterius im-

pedit effectum: nihilominus tamen contra regulam prudentiæ iterum peccatur: *quod potest fieri per pauca, non debet fieri per plura.* Lepide sane hujuscemodi medicos perstringit G E D E O N H A R V E V S, virulenti alioquin animi in artem medicam homo, *in arte curandi morbos expectatione, Cap. XII, p. 62. ad 64.* Proponit ibi julepum, a medicis præscriptum ex sex aquis destillatis simplicibus, ejusdem efficacitæ, constantem: dicitque, *æque absurde has aquas inter se esse commixtas, ac si coquus jusculum ex aqua Rhenana, ab Urbe Basileensi asportata, aqua Mosana, aqua Vahalis, & aqua fontana parare vellet.* Addit vero: *Annon jure hunc coquum e vacerra, seu maniacorum edibus prorupisse censes?* hincque ulterius ad medicos illos sarcastice satis argumentatur. Neque vero medicis illis dissimiles sunt, qui *variarum herbarum salia, per incinerationem parata, quasi hæc specifici quid de suis herbis possiderent: varias terras medicinales sigillatas: variorum animalium ossa: semina quatuor frigida majora & minora similiaque, quasi unicum ex his non sufficeret, in unam coagmentant formulam.* Verissima itaque sunt verba JOHANNIS LANGII *Epistol. Medic. p. 417. 418.* *Quodsi nullum simplex medicamentum ex tanta simplicium sylva habere poteris, quod universas remedii vires & proprietates, quas compositionis pharmaci & cure morbi indicationes requirunt, contineat: tum medicus, ut sedulus nature minister, ita fidus ejus æmulus, tale pharmacum non ex homogeneis, sed ex simplicibus, viribus, & natura diversis, ut natura facit, conficere debet. &c.* Imprudentis ergo est, multa, tum respectu ipsorum medicamentorum, tum morborum, in unum, *quasi cum multa jura confundit cocus, ut loquitur PLAVTVS, cogere medicamentum; prudentis vero medici, pauca simplicia intimius nosse, iisque dextre uti.* Conf. WEDEL *de Facultatibus Medicam. p. 25.* A. Q. RIVINVS *de medicamentorum officinalium censura Cap. VII.* HOFMANN *in Annotat. in Opera Poterii. p. 398. Prax. Stabliano - Pelargiana. p. 165. ad 169. it. p. 183. &c.* Unde & JO. DAMASCENVVS *ad filium: medicamenta tibi sint certa & pauca usurpanda, eaque, quibus maxime usu fidere possis. Nam si volueris multa assequi, multiplici sensuum varietate eo venies, ut nulli tuto considerare possis.*

§. IV.

§. IV.

Sed dicis: *Superflua non nocent.* At enim, si alibi hoc forte verum; Saltem in praxi medica hoc est falsissimum. Formularum certe longiorum præscriptionibus multum quidem subinde pompæ ac curiositatis inest: Pauca vero utilitas ex iis speranda. Hoc perspicuus SCHERBIUS, inquit: *Longas receptas scribere, magna ex parte non tam videtur pertinere ad salutem ægri, quam fortassis ad bonam existimationem de scientia nostra excitandam.* *Thef. Med. p. 66. §. 2.* Hinc etiam magnas compositiones, quæ ex infinita fere ingredientium constant farragine, non immerito rejiciendas affirmat PAULUS AMMANNUS *Paranes. ad discen- tes. p. 462. Re vera autem superflua illa nocent.* Sicut enim homines plebeji aliique, simplici victu ad decrepitam subinde senectam producunt vitam suam; ita contra alii, cupediarum genera ubique quærentes, cibosque diversimode mixtos, in floridæ ætatis annis constituti, gravissimis corripuntur abripiunturque morbis: Id quod porro vel inde patet, quia primi homines, ob simplex vivendi genus, tam admirabilem vitæ longitudinem consecuti sunt: quippe qui, minus gulæ dediti, collitiem, multamque in cibis & potibus varietatem, quæ homines corrumpit, nesciverunt. Evolvatur modo *Genes. XVIII. 6. ad 9.* ubi referuntur epulæ Abrahami, quibus Jehovah, cum binis Angelis comitibus apparentem, excepit: qui sane locus quoties legendus occurrit, toties veneror antiquam in victu simplicitatem, valetudini nostræ unice litan- tantem, & Apicianis ferculis magnopere anteferendam. Quod si autem victus varia ratione permixtus multas noxas corporibus infert, cum tamen alimenta modo vim possideant corpus nutriendi; multo magis nocebunt medicamenta, quippe quæ corpus magis alterant atque afficiunt, si medicus in morbis curandis nimia medicamentorum compositione luxuriet. Hinc egeni simplicibus optime curantur remediis, quippe in quibus natura, quæ paucis contenta, remedium parvitatem & simplicitatem facillime sustinet & instaurationem suscipit. E contrario medicamentorum copia & turba promiscua, ditioribus honoratioribusve offerri solita

solita, graviores sæpius efficit morbos, vel saltim protractio-  
res reddit: unde non male hic applicari possunt verba SE-  
NECÆ, qui in Epistola 2. inquit: *Nil aque sanitatem agrotantium*  
*impedit, quam crebra remediorum mutatio.* Unde simul patet,  
quantopere peccent illi, qui, quoties valetudinaria ægro-  
antium intrant, toties novas remediorum miscelas præscri-  
bunt, quo nunquam otiosi reperiantur: qui tamen ipsi ratio-  
nem reddere nequeunt, cur hoc vel illud ingredientium adjici-  
ant. De quibus ulterius conquerentem evolvere poteris BOHNI-  
UM in *Diss. de Experientia fallaci, annexa ipsius Oeconomia animali, p.*  
*658.* itemque CAROLUM RAYGERUM in Scholio ad SPINDLERI  
*obs. 51.* Cum itaque superflua re vera noceant, temere illi  
omnino agunt, qui ex quacunque causa affectatæ remedio-  
rum compositioni morbosorum hominum fortunam com-  
mittunt. Agitur enim ubique de corio humano, quod pe-  
riculosæ plenum opus est alex. In quo eo magis sunt red-  
arguendi, quia *nunquam temeritas cum sapientia commiscetur, nec*  
*ad consilium casus admittitur,* ut loquitur CICERO in *Orat. pro M.*  
*Marcello.* Verum enim vero non tantum temere agunt fa-  
stuosi illi vastarum compositionum confarcinatores respectu  
ægrotorum, quos temeritate sua præmaturæ subinde tradunt  
morti; sed & hoc ipso, in propriam famam existimationem-  
que, quæ tamen pari passu cum vita & salute ægroti ambu-  
lat, sæviunt, ejusque infelix patiuntur naufragium: *plus enim*  
*dedecoris accedit medico ex uno eventu malo, quam honoris ex decem*  
*eventibus bonis,* ut loquitur FRANCISC. DE LE BOE SYLVIVS *Operum*  
*p. m. 683. §. 319.* & sicut in prospero eventu, ut Plautinis ver-  
bis utar, *levior pluma est gratia; ita in sinistro plumbeæ sunt iræ.*

§. V.

Sed paulo accuratius vanitas mictopharmacomania pro-  
sequenda est. Inprimis vero illa vel exinde elucet, quia in  
*doctrinas de Materia medica, & medicamentorum facultatibus non*  
*exiguum hinc redundat damnum, quippe quæ mirum in modum ab illa*  
*peffundantur atque conculcantur:* quemadmodum id sæculis illis  
barbaris, ubi medicina ab Arabibus in tutelam fuit recepta,  
eve-



evenit: ubi hæ doctrinæ incredibile tulerunt detrimentum, immo plane intercidere, ob mirum illum pruritum, quo divexati sunt Arabes in misceendis & remiscendis medicamentis suis: quamvis fatendum sit, apud GALENUM eosque, qui post eum ex Græcis de medicina scripserunt, multa jam deprehendi composita, ex permultis ingredientibus constantia: ut probe contra GUID. PATINUM observavit JOHANNES FREIND in *Operibus suis Londini 1733. editis p. 530.* Ideo vero allegatæ scientiæ per mixtopharmacomaniam patiuntur, quia dubius ubique medicamentorum redditur effectus. Aut enim novum offertur remedium, cujus vires expiscandæ adhuc sunt: aut remedium usu jam satis probatum venit usurpandum. Quod ad prius; illud male cum aliis commiscetur medicamentis, quia hac ratione nunquam, quod quærimus, eruere possumus; sed potius incerti manemus circa naturam, usus viresque hujus remedii: siquidem nescimus, cuiusnam ingredientium effectus in acceptis sit referendus, qui, tunc in genere de toto mixto observatus, non statim absque fundamento huic vel illi peculiari speciei seorsim adjudicari debet: cum contra nuda & genuina efficacia simplicium innotescat, si absque aliorum commixtione sub trutinam veræ vocentur experientiæ. Quæ in re tamen valde peccatur ab iis, qui ad normam Naturæ Curiosorum, historiam variorum simplicium exponendam sibi sumserunt: quippe qui, de virtutibus simplicium suorum agentes, omnes corradunt formulas, quæ unum alterumve granum simplicis illius remedii complectuntur: quasi hac via certior quis reddi posset de hac vel illa simplicis cujusdam genuina virtute. Quod ad posterius; æque ancipites hæremus circa operationem & virtutem medicamenti jam cogniti, cumque aliis mixti. Consideremus tantum methodum medicorum quorundam, quam in formulis concinnandis observare solent. Præscripturi enim medicamentum quoddam, inprimis evacuans, vel sedativum, primo pro *basi* ponunt certum remedium, scopo præfixo conveniens: dein addunt *Adjuvans, Dirigens Corrigensque.* Egregium sane factum, quod dubium omnino medicamenti effectum edere debet! De *Basi* non

B

habeo,

habeo, quod moneam: est enim illa agens primarium formulæ: si modo medicamentum, quod pro basi accipitur, non sit vel nimis drasticum, vel languidum. Quod si itaque commodum elegerim remedium; cui usui *adjuvans*? nisi forte, ut concisior hinc emergat medicamenti dosis: Neque vero & hoc semper est e re ægrotantium. Siquidem omnia concentrata composita vi operantur nimisque stimulant: cum e contrario permulti dentur casus, ubi lenioribus longe melius ægro prospicitur. Sed quid sibi volunt *dirigentia*? Adduntur hæc præcipue purgantibus per *ἐπιχρᾶσις*, quando e. g. in affectibus capitis purgantia cephalicis; in hepatis morbis hepaticis; in hysteris uterinis, & sic porro maritantur, adeoque, & alterandi & purgandi vi respiciunt membra. Sed quis *dirigenti* prospiciet de salvo conductu? non immerito quaerit PAULUS AMMANNUS in *Paranese ad discipulos* p. 465. Medicamenta enim non utuntur ratione, neque audiunt imperium medici: tu eas ad portas hepatis, tu ad caput, tu ad uterum. Nam quod adstringit, quod roborat, quod aperit, facit id, quocumque venerit. Quid denique *corrigentia*? Hæc itidem, in primis vomitoriis purgantibusque ac sedativis, addi solent. Ita evacuantibus dictis modo *aromatica* e. g. Mannæ Cinamomum, Agarico Zingiber, Rhabarbaro Spica: modo *adstringentia*, ut scammonio succus cydoniorum vel fumus sulphuris, colocynthidi acetum, granis tilli saccharum saturni, euphorbio & elaterio succus limonum vel Spiritus Vitrioli: modo *anodyna*, ut helleboro flores nymphææ imo ipsum opium, tanquam corrigens, adjunguntur. Et quot, quaeso, non sunt *corrigentia*, quæ sedativis remediis, & inter hæc Opio admiscuntur? Sicut enim plerique pro opio corrigendo testimonium suadent, sive fortem desiccationem, ut sulphur illud narcoticum discutiatur, unde tamen Opium non tam corrigitur, quam plenarie enervatur ac privatur activo suo elemento; Ita alii ad eandem virulentiam obtundendam inspergunt Spiritum salis, vitrioli vel sulphuris, acetum vini, succum cydoniorum vel citri, similiaque acida: alii involventia, resolventia, aromatica, immo ipsum semen Hyoscyami addunt,

dunt, ut inter tot alias tum veterum, tum recentiorum compositiones videre est in massa pilularum de Cynoglossa, in qua opium optime correctum dicitur, etiam ab iis, qui aliquin opiatorum ipso Diagora Cyprio infensiores sunt hostes. Ubi tamen monendum, ne quid de reliquis dicam ingredientibus, semen Hyoscyami, quod ibi æquali pondere cum opio maritatur, hoc munus gerere non posse, quippe quod exosum potius reddit hoc medicamentum. Hyoscyamus enim, ut loquitur SIMON PAULI in *Quadripartito Botanico* p. m. 347. inter deleteria non extremum occupat locum, adeo ut exspuere ad illius nomen, non sine horrore, nondum in cognitione herbarum versatum deceat, ob malitiam, aut gravissima symptomata, quibus hominibus infestus est, qualia suo jam tempore observavit SCRIBONIUS LARGUS atque GALENUS, quæque recentiores medici pluribus edocuere, de quibus ulterius conferri potest BARTHOLOM, ZORNIUS in *Botanol. med. p. 353. & 354* itemque EHRENFRIED HAGENDORN *Obs. med. Cent. III. hist. 84.* it. PAULUS SPINDLERUS in observatione XIII. atque CAROLUS RAYGERUS in Scholio subnexo p. 25. 26. Quod itaque ad Corrigentia ingenere; non adeo multum his tribuendum esse, potius vero genuinum simplicium usum addiscendum, censeo. Præterea tantum abest, ut simplicia per corrigentia meliora reddantur, ut potius virtute sua nativa plane defraudentur. Quod probe sciens HELMONTIUS, inquit: *Vegetabilia medicamentosa, per media correctiva plane alienantur & sic in peregrinam transeunt familiam.* Et alibi: *Correctoria pharmacorum sunt sarcinae inutiles, atque sine rerum cognitione, a Scholis descriptum pondus; adeoque destructiva saltem pharmacorum, si non simul etiam egrorum.* conf. HELMONTII *Pharmacopolium ac Dispensatorium modernum*, ubi acriter contra remedia correctiva disputat. Idem quoque de corrigentibus in specie, quæ evacuans adduntur, dicendum. Horum alia, ut supra diximus, sunt acida, adstringentia, anodyna, alia aromatica. Priora illa non tam corrigere, quam potius castrare evacuantia, quis est, qui nesciat. Sola enim lotio purgantium hoc jam efficit. Videmus hoc, ut ex multis unum adducam exemplum,

plum, in aloë, Quia enim aloëtica adstrictionem alvi post se relinquunt, multi hanc adstrictionem per lotionem corrigere volunt: eum tamen vis purgatoria hoc modo potius adimatur. Ut probe observavit LENTILIUS *Miscell. med. pract. P. III. p. 204.* Quod vero ad aromatica; hæc etiam purgantibus maxime sunt contraria: destruunt, quod hæc tentant, nec ullam, quam veteres sibi finxerunt, præstant utilitatem; potius vero, varia symptomata excitando, dubios purgantium reddunt effectus. Observarunt hoc probe Wratislavienses medici, unde ingenue fatentur, *se olea destillata, quæ inter præcipua eminent corrigentia, nec pilulis, nec reliquis purgantibus per decem fere annos addidisse, tum quod purgantium vim retundant, tum quod, secus ac multi alii crediderunt, evacuantibus sociata, tormina excitent. Hist. morb. Wratislaviensium 1702. p. 108.* Quod denique Sedativorum, & imprimis Opii correctionem attinet; hoc, si dicendum, quod res est, nullo omnino eget corrigente: recta potius opii correctio in recto usu consistit: & omnia illa, quæ in tot compositorum opiatorum descriptionibus addita reperiuntur, & alias hoc fine addi solent, frustranea plane sunt & ex falsa hypothese, opium in extremo gradu frigidum esse, pronata. Correctiones vero Opii plenarie sunt rejiciendæ quæ cum acidis peraguntur, quoniam his virtus anodyna enervatur: quod vel exinde luculenter apparet, quia contra opium in nimia quantitate assumptum, ejusque noxas, tum præcavendas, tum curandas, non datur melius antidotum, quam vel solum acetum: quod nec apud vulgus hominum ignotum est. Si quid autem circa Opium agendum, optimum profecto est, præeuntibus viris celeberrimis, LUDOVICO, WEDELIO, FEBURE, LEMMERI, GLASERO, HOFMANNO aliisque, sola aqua ejus extractum parare, ut hac ratione, tanquam concretum imprimis gummosum, a suis quisquiliis liberetur inque usum hominum cedere possit. Sic enim tutum satis erit remedium. *Narcotica siquidem virulentia nullibi metuenda est in exhibitione opii depurati, si modo legitima servetur dosis, & insimul attendatur, quibus & in quo morbo desur, ut rectissime loquitur RIVINUS in Manuductione ad Chemiam*

am

*am pharmaceuticam*, libello, mole quidem parvo, sed, si rerum momenta spectes, commendatissimo. p. 90.

§. VI.

*Neque minus dubius medicamentorum effectus promanet ex methodo multorum, juxta quam diversissima virtutis remedia inter se commiscunt, finesque toto caelo distantes una eademque formula assequi conantur.* Huc vero non refero, qui affinia inter se miscunt remedia, quorum unum alteri amicam quasi porrigit manum, expeditioremque ejus operationem reddit. Ita sunt, qui *emetica purgantibus* maritant. Non infelix autem horum subinde esse connubium, *ratio* comprobat: siquidem purgantia vomitoriis addita, horum vires moderantur: emetica vero purgantibus adjecta, horum actionem adaugent. Confirmat hoc ipsum *experientia* auctoritasque summorum in praxi medica virorum: quos inter primo in medium proferre lubet FREDERICUM DEKKERS, qui vomitoriis nonnunquam felici in praxi cum successu purgantia jungi affirmat, ut, quando illa non operantur anxietatesque subinde inexplicabiles pariunt, horum ope deorsum expellantur, anxietatesque sic tollantur: suadetque, quoties solum vomitorium, purganti non mixtum, præcordiorumque anxietatem gravem & multifariam excitans, per superiora nil exturbat, purgans blandum ob dictam rationem adhibere. *Exercitat. Practic. circa medendi methodum* p. 164. Succedat Jo. NICOLAUS PECHLINUS, qui itidem nuperis observatis compertam esse testatur utriusque societatem, altero alterius violentiam nonnihil infringente. *conf. ejus Observationes Physico-Medicae*, quæ, *judice* G. C. SCHELHAMMERO, in *præfat. ad genuinam curandi febres methodum*, non tam historias continere videntur, quam artis solida fundamenta, ex naturæ intimis recessibus eruta, dum, velut accensa face, phænomena morborum collustrant, p. 361. Sequatur ROSINUS LENTILIUS, qui sicut vomitoria purgantibus admixta, qualia ipsi emeto-cathartica vel purgantia ἀνωκαταρτηρικά vocantur, mirum in modum laudat, ita ut horum formulæ *Miscellanea* ejus *Medico Practica, Eteodromum ac Jatro-mnemata* pervolventi frequentissimæ occurrant; ita in primis hominibus car-

noſis, quos ad eos, qui difficulter vomunt, refert, enixe  
 commendat. *Ereodrom. p. 824. &c.* Neque ego diffiteri poſ-  
 ſum, me ſub primis quondam praxeos meæ annis, tum ex lu-  
 xuriante tunc ingenio, tum alias ob cauſſas, ſæpiſſime formu-  
 las ex variis emeticis purgantibusque conſtantes præſcripſi-  
 ſe, non deſtituente conatus fortuna. *Alii varii generis digeſti-  
 va purgantibus, neque id adeo incongrue, addunt.* Sic e. g.  
 pulvis MARCI CORNACHINI ſuam meretur laudem. Præter enim  
 diagyridium, potius, monente elegantiffimo PECHLINO, dia-  
 crydium dicendum, continet tum cremorem tartari, pro bi-  
 le abſtergenda, tum antimonium diaphoreticum: & hoc qui-  
 dem non, tanquam diaphoreticum, quale nomen, a nitro  
 ſuo antimoniato liberatum, vix meretur, ſed tanquam leni-  
 us abſorbens acidum: quamvis, ſi candide dicere licet, quod  
 res eſt, ego adhuc de vi antimonii diaphoretici abſorbente  
 dubitem, præterea vero longe ſatius eſſe putem, ſi digeſti-  
 va, ubi opus eſt, pro ratione cruditatum, in primis viis ſta-  
 bulantium, varianda, purgantium uſui præmittantur. *Alii  
 alterantibus medicamentis addunt laxantia.* Sic ſunt, qui inciden-  
 tibus aperientibusque illa jungunt, juxta obſervationem WE-  
 DELII: *aperientibus juncta purgantia iisdem vires largiuntur majores;*  
 quæ obſervatio quoque ſequenti regula practica admodum  
 corroboratur: *Nec purgantia ſine aperientibus, nec aperientia ſine  
 purgantibus feliciter operantur:* Scilicet, non quidem in una  
 formula, ſed diverſis temporibus præſcripta. *conf. WEDELII  
 Amoenit. Mat. Med. p. 71. 72.* Huc etiam referenda methodus  
 quæ in *Miſc. Nat. Curioſ. Cent. VI. p. 370.* extat, ubi limatura  
 martis cum radice Jalappæ conjungitur, eaque ratione varia  
 ſymptomata circa uſum martialium oriunda præcaveri affir-  
 matur. Quia enim ob liquorem vitriolicum, in quem mars,  
 ab acido primærum viarum ſolutus, abit, ob paulo majorem,  
 quæ fibris inteſtinalibus conciliatur, rigiditatem, alvi ſticti-  
 citas, in primis in ficcioris habitus hominibus, ſupervenit,  
 tanquam novorum ſymptomatum ſcaturigo; non male factum  
 eſſe judico, ſi martis limatura cum ſtimulo Jalappino ad al-  
 vum blande referendam jungatur: pro qua etiam intentione  
omnes

omnes inter usum martialium multum potum assumendum suadent, multi vero, laxantia interpolanda esse, monent. Multi quidem modum hunc, purgantia martialibus intercalandi, exprobrant, putantes, chalybis vires a cathartico intercidi atque infringi. Nihilominus tamen ego persuasus sum, petitionem hinc ejus, quod erat in principio, committi: neque enim video, quomodo per laxantia vis martialium adeo destrui possit. Martialia autem usum laxantium interpolatum commode ferre, optime inter alia patet, tum ex methodo LUDOVICI, qui, si alvus fuerit siccior, martialium usui vesperi pilulas aloëticas laxativas interponit, *conf. ejus Opera p. 231.* tum ex methodo, quæ illis præscribitur, qui aquis Pyrmontanis martialibus utuntur, juxta quam sæpius quoque repetita commendantur laxantia, fausto quidem cum successu: *quæ de re pluribus conf. JOH. PHILIPPI SEIPPII Neue Beschreibung der Pyrmontischen Stahl-Brunnen, p. 253. ad 256.* Alii alterantia cum alterantibus jungunt. Patet hoc iterum exemplo martialium, quæ optime pro diversitate indicantium cum varii generis remediis alterantibus componuntur. Sic in atrophia infantum conveniunt, cum incidentibus, speciatim vero cum salinis, exhibita: quo & DANIELIS LUDOVICI methodum eximiam, huic morbo medendi referas. *l. c. p. 610. 611.* In morbis cachecticis e. g. in chlorosi, bene, ob particulas sulphureas in sanguine deficientes, se habent martialia cum amaris data. *vid. Histor. morborum Vratislaviensium 1702. p. 218. & c. it. DAN. NEBELII Diff. de chalybeatorum usu. p. 21. ad 26:* quemadmodum etiam talia in passione hysterica commendat SYDENHAMUS *de affectione hysterica p. 471.* & in passione hypochondriaca JUL. CÆSAR CLAUDINUS *Ingressu ad infirmos p. 163.* Alii denique, ut alia taceam, anodyna cum adstringentibus, antifebrilibus aliisque in unum medicamentum cogunt de quibus methodis *conf. WEDELIUS Amæn. Mat. Med. p. 60. ejusque Opiologia p. 94. & c.* Verum enim vero cum talia debitis cum cautelis omnino admitti possint; ita non incommode hac occasione quæritur, *an etiam anodyna, e. g. opium cum sudoriferis, alexipharmacisque componi queat?* In falsum primo intuitu videtur,

tur,

tur, talia invicem miscere: inprimis si vera foret antiqua hypothesis, ab opio sanguinem coagulari. Sed postquam recentioribus temporibus a PITCARNIO, HOFFMANNO & BERGERO compertum fuit, opium sanguinem rarefacere, ac laxitatem vasorum atque pororum inducere, non adeo mirum opii ac sudoriferorum esse debet connubium, cum hac quidem ratione unum alteri auxiliatrices quasi præbeat manus. Hinc est, quod tot theriacalia, in quibus semper talia commixta deprehenduntur, per tot secula in frequenti usu fuerint, adeo ut WEDELIUS *Opiol. p. 99.* testetur, se quotidiano usu in febribus continuis ac malignis observasse, longe feliciter operari e. g. tincturam bezoardicam cum tinctura sua anodyna combinatam, quam solitariam: quod etiam *p. 101.* testimonio GESNERI confirmat, qui, quando de antidotis, maximorum morborum auxiliis agit, addit: *his antidotis opium aut similia aufer, animam abstuleris*, h. e. basin & vim præcipuam eorundem. Quantus porro usus bezoardicorum, cum opio mixtorum, sit in dysenteria, idem WEDELIUS abunde testatur *cit. Opiol. p. 121. & c.* cui REINERUS SOLENANDER *Secl. IV. consil. 9. p. 334. & 335.* ROSINUS LENTILIUS *Misc. P. I. p. 20. Jatroch. p. 581. 583. 585.* DANIEL LUDOVICI *Oper. p. 337. 432. & in tr. de dysenteria cap. 3.* BERNARDINUS RAMAZZINUS *de Morbis artificum cap. 40.* multique alii adstipulantur. Quam feliciter denique sudorifera cum opiatis in pleuritide ejusque fluxu alvi pernicioso jungantur, testis est BAGLIVVS *Prax. Med. L. I. cap. 9. p. m. 55. it.* WALDSCHMIDIVS *Prax. Med. p. 37.* Sed considerandæ sunt compositiones, in quibus, ut supra diximus, diversissimæ virtutis remedia confunduntur. Huc spectant, diuretica, diaphoretica, alexipharmaca, antifebrilia aliaque cum purgantibus, nec non anodyna cum vomitoriis vel purgantibus sociata, aliaque inter se pugnancia, qualia RIVINVS pluribus *de Medicam. officinalium censura cap. VII. §. 5.* adducit. Nonne enim horum unum alterius destruit actionem, ita ut nunc naturam in diversa trahant, nunc vero plane eandem quasi confundant, dum uno eodemque tempore & calcaria addunt & fræna injiciunt; qua de re pluribus con-

que-



querentem evolve Jo. ZWELFERVM *in append. ad animadversiones.*  
*p. 38. 39.* Sunt, equidem fateor qui talia laudant, ad ratio-  
nem & experientiam, nescio, quam vere, provocantes. Ita  
e. g. DEKKERS in cholera extollit emetica anodynis mixta,  
*Exercit. Pract. p. 144.* PAVLVS SPINDLERVS laudani opiatum cum  
purgantibus usum in nephritide. *Centur. Obs. Medicinalium p.*  
*104.* ibidemque *in Scholio subnexo* CAROLVS RAYGERVS purgantia  
cum anodynis mixta deprædicat. Quot porro encomiis non  
celebrantur *pilula* WILDEGANSI, quæ tamen, quanquam inter  
optime correctæ opiata a STAHLIO *in Praxi Stahliana p. m. 957.*  
referantur, ineptam potius præbent mixturam, sine ulla ra-  
tione a lanæ illo carptore, post chemico, factam, dum ex  
medicamentis, sibi invicem contrariantibus, opiatum, sudori-  
feris, purgantibus sunt confarcinata, atque auctoris igno-  
rantiam in fundamentis medicis palam testantur; alia similis  
farinæ composita, quæ inter antiquæ compositiones eminent,  
ut sicco pede transeam: quippe quæ, iudice RIVINO, sine or-  
dine, sine proportione, sine artificio, aut verius, sine om-  
ni iudicio ut plurimum sunt conscriptæ, ut jurare audeat, in  
quam plurimis non tam fuisse illa de industria sic collecta,  
quam fortasse casu, aut per errorem collapsa, corrasa, confu-  
sa, coacervata. *l. c. §. 7. 8. 9.* Non nego, talia subinde bene  
cessisse. Forte tamen, quia ipse morbus ejusve paroxysmus  
jam fuit in declinatione, vel ob alias circumstantias. Sæpe  
enim natura medicorum favori militat & alienorum reme-  
diorum usum commodo suo disponit. Fiunt etiam monstra  
subinde in natura, & quem nemo sperasset evasurum, sæpe  
medicos & criticos suos vitæ diuturnitate superat. Ubi tamen  
successus talis non statim composito ejusmodi medicamento  
est attribuendus, ita ut postmodum in simili casu statim ite-  
rum magna cum fiducia possit adhiberi. In omnibus enim  
remediis vis eorum observanda, & subiectum patiens cum  
objecto agente conferendum, si optatum obtinere finem ve-  
lis. Salthim id verum est, dubium remediorum effectum ex  
talibus proficisci, iisque absonis compositionibus: longe vero  
satius esse, explorato morbo ejusque causa ac indole, præ-  
missis,

C

missis,

missis, si opus est, universalibus, per simplicia, vel convenienti methodo composita remedia aggredi, eumque methodo rationali plenarie, si fieri potest, expugnare, quam aliorum inconditas mixturas, ob laudem, quam subinde reportaverunt, sine respectu ad ægros, adhibere velle. Non enim omnia omnibus conferunt remedia: immo ne idem medicamentum in eodem ægrotante eundem morbum curat. Hinc in eo cardo vertitur empiriæ, venditare certa contra morbum in quovis subjecto remedia. Quam ob rem notatu digna sunt verba SCHERBII: *Prudentissime Galenus, sive, inquit, pharmaca dixeris nihil esse sola per se ipsa; recte dices: Nihil enim sunt, nisi recte eis utentem fuerint adepta: sive rursus pharmaca veluti Deorum manus esse dixeris; etiam hoc recte dices. Juvant enim maxime, si is, qui eis utitur, in rationali methodo fuerit exercitatus, & simul natura prudens. Nam ut in rebus physicis materia per se ἀοριστιαν̄ habet; τὸ ὀργανωμένον ornatum & ordinem, a forma accipit: Ita etiam pharmaca per se sola, ut ait Plato, materia tantum quedam sunt auxiliorum; vere autem salutaria auxilia tum denique fiunt, quando recte utentem, tanquam suam formam nacta fuerint. Stulti igitur cum multi alii, tum inprimis funestissimi Paracelsista, qui proram & puppim artis medicæ, ponunt, non in methodo λογικῆ & prudentia, sed in libris medicamentariis & possessione arcanorum pharmacorum. conf. ejus Thes. Med. p. 73. 74.*

§. VII.

Haftenus egimus de dubio remediorum effectu, ex initio pharmacomania proficiscente. Quod si vero causas hujus rei inquiremus; variæ se nobis sistunt. Inprimis autem dubius iste effectus oritur, quia medicamenta simplicia, ob aliena addita, vel fiunt languida immo otiosa, vel novam plane acquirunt indolem, saepe etiam virulentam. Quod vero vis medicamentorum subinde ab incongrue admixtis obtundatur, jam supra §. 3. paucis ostendimus. Hoc probe observans HELMONTIUS, ille medicorum, tum Galenicorum, tum Paracelsistarum Attila, non inepte tales miscelas vocavit *simplicium confusiones, facultatumque devastaciones & omnimodas exstinctiones. conf. ejus Tract. in herbis, verbis & lapidibus est magna vis.*  
Hinc

Hinc etiam est, quod simplicia antidota, quippe quæ, sicut omnia simplicia, recto gressu ad edendum effectum tendunt, cum nihil sit, quod eorum efficaciam vel hebetet vel alteret, longe melius juvent, quam theriaca, in quâ omnia antidota quasi in unum cõivere: Quapropter etiam PARACELSVS reprehendit theriacarum artifices, eosque quærit: *cui bono multe & innumera remediorum species in unam massam collate inserviant?* respondet vero ipse, *medicos hesitare circa efficaciam remediorum: qui tamen in theriaca se certiores reddere volunt, quasi ex tanto numero remediorum unum tamen certum & fidum adesse debeat remedium.* Sed & aliis id ipsum exemplis est corroborandum. Primo itaque in scenam prodeat polychrestus *Mars* de quo jam supra diximus, qui, ob aliena addita diversimode alteratus, vel plane virtute sua antacida exutus apparet, ut tot tincturæ martiales testantur, totque ejus croci aliaque ejus cum acidis variis facta præparata docent: vel justo languidius vim dictam exferit, ut videre licet in pulvere quorundam, inprimis **QUERCETANI**, cachectico, ubi multis inutilibus, aromaticis, lixiviosis, analepticis aliisque obrutus quasi deprehenditur. Hinc multi hodie sunt, qui ejus usum fusque deque habent: longe tamen benignius de ejus in permultis morbis utilitate judicaturi, si eundem in simpliciore forma adhibere didicissent, quippe qui tum demum, sui juris magis factus, energiam suam, a multis temporibus stabilitam, & a **DIOSCORIDE**, **PAVLO AËTIO**, **ALEXANDRO TRALLIANO**, **AVICENNA** aliisque jam laudatam, promte exferit. Liceat hoc confirmare testimonio **SYDENHAMI**: *Commodissime, inquit, aut ego fallor, in substantia exhibetur; atque, ut nec observavi unquam ipse, nec fando accepi, eum ita sumtum cuivis nocuisse; ita certiozem me fecit experientia multiplex, nudam chalybis substantiam & feliciter & breviori temporis spatio curationem absolvere, quam si is quovis, ex iis qui vulgo feruntur, modo fuerit preparatus. Cum tam in hoc, quam in aliis melioris notæ remediis, id quandoque præstiterit chymicorum officiosa sedulitas, non tantum, ut *δραστικώτερον* non sint, sed etiam a perversa eorundem diligentia & opera plusquam otiosa, magis evilescant. de Affectione Hysterica p. m. 468, conf. quoque **LENTIL**, *Miscell.* I. p. 12.*

itemque ALEXANDRI THOMSON *Dissert. medicarum p. m. 63. 64. it.*  
 BOHNIUS *de experientia fallaci p. 661. & de officio medici p. 473. it.*  
*Misc. Nat. Cur. Decur. III. Ann. I. obs. VII. p. 22. 23. ubi limatura*  
*martis cruda sola, tanquam certissimum remedium ad vermes*  
*propellendos, non sine ratione deprædicatur. conf. quoque*  
 JO. ANDR. STISSERI *Actorum laboratorii chemici Specimen III. cap. I.*  
*Marti succedat Cortex aurantium, ejusque virtus plane eximia*  
*in mensibus immodicis sistendis. Hujus rei non ignarus fu-*  
*it LUDOVICUS SEPTALIVS, quippe qui hoc auxilii genere infi-*  
*nitas propemodum mulieres ab hoc morbo liberavit, ita ut*  
*fere nunquam frustra illo fuerit usus. conf. ejus Animadversi-*  
*ones & Cautiones medicas L. VII. §. 145. it.* LAZARI RIVERII *Praxin*  
*med. L. XV. cap. 3.* Postea HAMILTON apud Anglos ulterius  
 diuturno usu hanc vim fuit edoctus. Observavit vero, solo  
 utendum esse cortice, seque, quoties in gratiam quorundam  
 amicorum alias quoque addiderit herbas, sperato frustratum  
 esse effectum. Si vero solos cortices decoctos exhibuisset, sem-  
 per voluntati suæ respondiisse hoc medicamentum, ut testa-  
 tur *in Tract. in quo demonstrat, tutissime adhiberi posse medicamenta*  
*simplicia. conf. quoque de usu hujus corticis ex Hamiltono*  
 J. ALLEN *Synops. medicinae practicae p. 360.* Sequatur *Lignum San-*  
*ctum*, ad luem veneream perdomandam divinitus datum re-  
 medium: quod vero aliis permixtum, non æque suam exse-  
 rit efficaciam. Hinc nunquam satis digne laudandum AN-  
 TONII GALLI consilium, qui, cum sua jam ætate profanari hoc  
 remedium multarum rerum permixtione observaret; idque  
 sine stomacho perferre non posset, contra hujusmodi har-  
 pyias, religionem ac simplicitatem hujus *ἀγιοξύλης* contami-  
 nare contendentes, nitidissimum *de Ligno Sancto non permi-*  
*scendo*, concinnavit opus, quod dein ALOYSIVS LVISINVS *A-*  
*phrodisiaco* suo, sive *Collectioni Auctorum*, qui de Lue Ve-  
 nereæ scripserunt, qui liber nuperrime curante HERMANNO  
 BOERHAAVIO Lugduni Batavorum 1728. duobus tomis in fo-  
 lio iterum prodiit, a p. 456. ad 492. inseruit. In hujus ita-  
 que opusculi *capite VI.* probat, hoc medicamentum nullam  
 admistionem recipere nullaque egere, quoniam omnia in  
 illo

illo contra morbum hunc necessaria jam adsint, quin immo ab aliis e. g. vino, cortice ipso ligni hujus, carduo benedictio, galanga, mentha, glycyrrhiza, saccharo &c. obtusius reddi: tandemque ita concludit: *Quid ergo in tot ac tantis hujus ligni dotibus vino opus est, quid herbis ad membra ducentibus, quid aliis fallaciis? Quorsum vero necesse est, alia ipsi commisceri? Quis ille pretextus esse potest? Nihil etenim corrigendum arbitror, quoniam neque, quod vehementiam ejus retundere, aut imminuere possit, unquam offendemus, cum nihil violenter agat. &c.* Adstipulatur Antonio Gallo ULRICHVS DE HUTTEN de Morbi Gallici curatione per administrationem Ligni Guajaci, in eodem Aphrodisiaco Luifiniano p. 276. &c. reperiunda, ubi cap. X. ita: *Nullam fert admixtionem medicina hæc, attonitis ob id istis vulgo medicis, qui nihil admirari nos volunt, nisi quod a tribus orbis partibus conquesta in se venena recipiat, & qui auctoritatem sibi omnem desperant, nisi in pharmacorum synthetis Indiam nobis, Æthiopiam, Arabiam & illos extreme Garamantas coniungant. & sub finem capituli: Itaque sic sentio, nullam ad hoc remedium aliunde accersendam opem, ipsum exstirpando huic morbo unum satis esse, si quid addatur, ab hoc iuari nihil ipsum, posse autem fieri, ut impediatur ac vitietur.* Arrigite aures Pamphili, attendite ad hæc, vos mictopharmacomaniaci, quæ hi duumviri pro vero Ligni Sancti usu vindicando, experientia edocti, adeo graviter inculcant! Insistite horum vestigiis, relinquite perversam vestram hoc medicamentum adhibendi methodum, juxta quam vix unquam solum illud ægris vestris exhibuistis, sed aliis conspurcatum, in usu decocti vel essentia lignorum cujusdam, juxta placitum hujus vel illius auctoris compilata, acquiescentes, eoque mire vobismet placentes. Nec vero in his, quæ modo adducta sunt, subsistere placet; sed & alia addenda veniunt. Ita NENTERVS serio inculcat, sub mercurialium adhibitione sulphuris usum omittendum esse, quia hoc illius virtutem infringit. *Fundam. Medicinæ Tom. II. p. 301. Anagallis flore phœniceo, testibus ROLFINCIO, SENNERTO, FRID. HOFMANNO multisque aliis, quos allegatos vide in ZORNII Botanologia p. p. 64. arcani quid contra maniam continet, unde & non immerito salus fatuorum*

dicitur: sine omni vero additamento sub forma decocti est propinanda, si voto eventum respondere velis: observante HARTMANNO in *Praxi chymiatrica*. Unde simul elucet, quo in pretio Essentia Anagallidis sit habenda. Admixtione sacchari, vires medicamentorum magna ex parte frangi HELMONTIVS testatur in *Pharmacopolio ac Dispensatorio moderno* §. 29. 30. & recte quidem. Quid itaque de tot officinarum syrupis sit judicandum, quove in pretio sint habendi, aliis relinquimus: in *sequenti* §. noxas sacchari, aliis remediis interpolati, docturi. Hæc omnia denique de virtute simplicium, ab aliis additis languescente, probe agnoscentes prudentiores medici, veterum compositionum amantes, jubent, ut composita hæc sola adhibeantur. Unde JACOBVS FABRICIVS, quondam in aula Danica medicus, alienissimus ab innovandi aut immutandi veterum compositionum studio, prudenter solitus fuit dicere, *non decere nos taminare somniis nostris suavibus veterum prudentem experientiam: & obtinuisse quidem v. g. Quercetanium Theriacam reformatam, sed novam, sed non probatam, sed non Andromachi: & que ad lubitum cujuslibet castigarentur aut castrarentur, veterum descriptiones, similes esse pullis, a caponibus exclusis, alio gallo procreatis, verbo, spurias, ceu a veterum compositionibus, ut longe diversas, ita effectum longe dispares.* CONF. SIMONIS PAVLI *Anatomisches Besonderen* p. 50.

§. VIII.

Sed per mixtopharmacomaniam medicamentorum quoque virtutes pervertuntur, Tantum enim abest, ut composita ubique ratione simplicium sint ponderanda; ut potius in tertium quid sæpe abeant, longeque diversum edant effectum ab isto, quem animo medicus talis præconceperat, variaque simul phænomena non prævisa ostendant. *Multa siquidem, dum commiscuntur, effervescentiam non expectatam excitant.* Sic si quis electuarium præscriberet, pro scopo antifebrili, ex pulpa tamarindorum & medicamento quodam lapidoso conflandum; nonne id, ob effervescentiam inevitabilem, naturam balsamicam indueret, miramque simul intumescentiam pateretur? quale medicamenti genus cum ægrotanti cuidam propinaretur; hic vero, miratus illam medicamenti turges-

scen-

fcientiam, in feftili vafe excepti & vefica bubula duplicique charta obligati, digito id deprimere tentat; rumpitur vefica cum charta, inque faciem ejus profilit electuarium male præscriptum, non sine derifione medici. Eadem comœdia luderetur, si quis imprudens ex rob sambuci, lapidibus cancrorum, floribus salis ammoniaci pro eodem fine pilulas conficeret: quippe quæ itidem intra paucas horas non tantum duplo majores redduntur, sed etiam non diu post in pulvem effervescentem abeunt. conf. JO. ANDR. STISSERI *Diss. de variis erroribus, chemia ignorantia in medicinam commissis. p. 13. ad 16.* itemque WILH. HVLDERICI WALDSCHMIDII *Diss. de erroribus in formulis præscribendis, p. 11. 12.* Ob eandem effervescentiam metuentam male flores sulphuris cum limatura martis commiscentur, inprimis, si in formam potionis redigantur, quia non diu post, inprimis si lenissimus accedat calor, mars a sulphuris acido in liquorem vitriolicum abit, odore simul foetido nares feriente erroremque manifestante. conf. de hoc experimento HOFFMANNVS in *Observ. phys. chemicis p. 302.* it. BOERHAAVE *Institut. Chemic. Tom. II. p. 306.*

IX.

Dicis quidem: *præscribuntur tamen sapius talia medicamenta, & quidem ea intentione, ut bina salia commixta in tertium quid abeant.* Scio hoc. Sic enim inprimis notissima est potio ant-emetica RIVERII, quam *Praxeos Lib. IX. cap. 7.* itemque JO. RADCLIFF, Anglus, in *pharmacopœa sua p. 296.* describit, ubi sal absynthii cum succo citri, vel, qui aliis placet, succo mali aurantii, ad lectum ægrotantium ex tempore miscetur, & ita, dum particulæ alcalinæ salis dicti cum acido succo colluctantur, propinatur. Quod si vero liberum mihi sit, fateari, quid sentiam; equidem putarim, specimen hoc esse charletanerix medicæ, ad quod stupeat vulgus, dum luctam illam particularum conspicit: siquidem alioqui non opus est tanto apparatu ad conficiendum sal medium extemporaneum, cum ejusmodi salia neutra abunde satis in pharmacopœis jam præparata prostent: Præterea & alia in eundem scopum, ut tertium quid prodeat, componuntur medicamenta: quo pertinet specificum antifebrile CROLLII, & alia, quæ e sale fixo  
cum

cum acidulato liquore componuntur. Idem quoque videmus in liquore cornu cervi succinato, ubi sal succini acidum cum sale cornu cervi urinoso mixtum, nihilominus egregiæ virtutis constituit remedium: idem quoque in mixtura, ex spiritu nitri dulci & spiritu cornu cervi constante, quam multi recentiorum pro scopo diaphoretico componunt. plura variorum concretorum exempla, cum aliis si misceantur, in tertium quid abeuntia vid. in Jo. MELCH. VERDRIES *Physica* p. 183. 184. Verum enim vero aliud est, eo animo miscere contrariâ, ut tertium quid inde producat: aliud, ex scabie commiscendi & remiscendi talia conjungere, ex quibus præter intentionem medici lucta particularum oriatur. Ut adeo vel ex hac causa vituperandi sint medici, qui multa inter se jungunt remedia, ut, si non unum, tamen alterum, scopum suum attingat: de quibus pluribus conf. LENTILIVS in *Jatromnemat.* p. 259. &c.

§. X.

Porro etiam vires remediorum immutantur, quatenus additione aliorum salium salia suis compedibus liberantur partiumque textura ac mixtio diversimode, sine concurrente etiam effervescentia, alteratur: unde omnino alienum ac novum quid exsurgat, necesse est. Ita sal ammoniacum cum sale tartari aliisque salibus lixiviosis, itemque lapidosis remediis, accedente aqua, si combinetur, sui juris fit sal prioris volatile urinosum: quemadmodum contra spiritus ejusdem salis ammoniaci, affuso acido, suum denuo amittit odorem. Cujus si gnarus fuisset medicus, cujus STISSERVS *l. c.* p. 16. 17. meminit, quippe qui præscripserat pulverem, ex sale absynthii & sale ammoniaco constantem, non altercatus fuisset cum pharmacopœi famulo, cur sal volatile cornu cervi pulveri adjecisset? Sic quoque ex conjunctione vitrioli cujuscunque cum nitro vel arcano duplicato manifestus statim fit naresque ferit odor aquæ stygiæ: & si saccharum saturni cum alumine teratur, acetum, quod in illo delituerat, odore suo statim se prodit; ambo vero hæc in mollem pulpam abeunt: decoctum denique scoriarum reguli antimonii inodorum,  
fi



si acetum vel Spiritus vitrioli eidem instilletur, teterrimum exhalat odorem, plura exempla huc facientia vide in VERDRIES *Physica citata* p. 193. 194.

§. XI.

Verissima itaque sunt verba RAMAZZINI. *Elenchum*, inquit, sane magnum admittit, & mendose colligit, quisquis ex qualitatibus, quae rebus miscibilibus insunt, inferre velit, easdem proportionate in mixto corpore reperiri. vid. elegantissima ejus *Oratio*, in qua probat, in medicina faciendae remediorum simplicitatem operosa compositioni praefendam. conf. BOHNIVS de officio medici duplici p. 462. 463. ubi idem pluribus confirmat. Sed regeris: exempla adducta nil probare: illa enim esse commixta ab iis, qui rerum chemicarum plane fuerunt rudes, interioraque artis vix per transfennam inspexerunt. Sit ita. Verum permittas, ut tibi opponam verba JOANNIS ZWELFERI, viri in chemicis versatissimi, apprime huc facientia, in *append. ad animadv.* p. 38. ubi ita: Cum arduum sit cognoscere & nemini adhuc satis perspectum, quomodo res naturales, intra etiam limites unius ejusdemque regni, in se invicem agant; consilio magno nobis sit, ut simplicitate in re medica contenti, in congestione tot tantumque diversarum rerum labore inutili supersedeamus, & parciores nos praebeamus, atque vel uno simplici simpliciter, ad quod a Deo conditum est, vel saltem paucioribus, inter se tum manifeste, tum occulte non contrariantibus, medicinam faciamus. &c. Quanta itaque ἀναξείβεια in commiscendis medicamentis non opus est? Ita ex mixtis foetidissimis mira transmutatione suaveolentia posse componi, minus quidem videtur credibile: iis tamen ignotum non est, qui ex carnibus quibusdam contusis, putrefactis, in latrina vel matula suspensis moschum conficiunt adulterinum, teste RECCHIO de *Anim. N. Hispan.* p. 555. Hoc tamen vel exinde quodammodo confirmatur, quia Moschus & Zibethum, si, nimia expiratione partium volatilium, odore omni amisso, effluviis urinæ & excrementorum denuo imprægnentur, pristinam fragrantiam recuperant. VERDRIES

D

phys

*Phys.* p. 195. Neque etiam, ceteris paribus, multum ab hoc abluat observatio OEMBII, qui ex cantharidibus, externe applicitis, saporem in suo ore observavit, Zibetho analogum. *Hist. morborum Wratisl.* 1699. p. 67. Immo ipsum moschi odorem ex mistis resinis foetidissimis oriri, casu didicit LEMERY, cum Galbani, Sagapeni, Bituminis Judaici, singulorum libra dimidia & Opoponacis unciae quatuor in uno facculo forte fortuna fuissent conjuncta. conf. *Hist. Acad. Reg. scientiarum anni 1706.* Quanta porro mixtionis sit dynamis, patet etiam ex pulveris pyrii compositione. Conflatur hic, ut notum est, ex sulphure, nitro & carbonibus. Verum isthæc, invicem discreta, nil admirandi continent. Ex eorum tamen permixtione exsurgit productum tantarum virium, ut, nisi jam exploratum esset, quid possit, tale portentum Atellanis fabulis accenseremus, ut loquitur RAMAZZINVS l. c. Quanta denique inter particulas variorum concretorum sit actio & reactio, testantur quoque tot exempla, quibus antipathiarum rerum in libris physicis probari solent, qualia recensere, merito superfedemus.

§. XII.

Dum itaque per istam miscelam adeo facile heteroclitum quid exsurgit; quis tutus erit, quo minus in medicamentis ad lubitum commixtis nociva subinde enascatur qualitas? Neque enim omnibus remediis absone compositis ista contingit felicitas, ac *Mitbridatio & Theriaca ANDROMACHI*, ut compositum nihilominus satis bonum inde emergat: Unde recte judicat FREIND, l. c. p. 531: *Si ad simplicium singulorum, ex quibus ea constant, examinationem descendere vellemus, vi forsitan rationis minus assequi liceret, quare hoc vel illud medicamentum sit selectum, vel quomodo omnia in totius efficaciam conspirent.* Qualem quoque sententiam de aliis veterum compositionibus fert BOHNIVS, eas per mixtionem variorum etiam aliquando in aggregatum efficax & nobiliter determinari, putans, *de officio med.*

*med. p. 466.* Observatum quidem, casu argentum vivum, olim inter venena relatum, migrasse in antidotum, a muliere adultera, ut mortem, per aliud venenum intentatam, eo promptius acceleraret, datum: qua de re elegantissime AVSONIUS canit;

*Toxica Zelotypo dedit uxor moecha marito;  
Nec satis ad mortem credidit esse datum;  
Miscuit argenti lethalia pondera vivi,  
Cogeret ut celerem vis geminata necem.  
Dividat haec si quis, faciunt discreta venenum;  
Antidotum sumet, qui geminata bibit.  
Ergo, inter se se dum noxia pocula certant,  
Cessit lethalis noxa salutifera:  
Protinus & vacuos alvi petiere recessus,  
Lubrica dejectis qua via nota cibis.  
Quam pia cura Deum, prodest crudelior uxor:  
Et cum fata volunt, bina venena juvant.*

Nil tamen impedit, quo minus non venenosa per commixtionem fiant venenosa ac noxia. Sic mercurius dulcis, cum salibus permixtus, corrosivus redditur. *conf. Diss. nostra de noxiis ex abusu mercurialium p. 9. & 10.* ubi hoc pluribus probavimus. Antimonium crudum cum aceto sumtum, vel cum stimulo salino tritum, *αἶμα καὶ κἄτω* purgat. *vid. NENTERI Specimen Commentarii Ludoviciani p. 47.* Antimonium diaphoreticum & bezoardicum minerale, cum carbonibus igne fufum, vim vomitoriam nanciscitur. VERDRIES *Physica p. 254.* Spiritus nitri ac vitrioli solitarii quibusdam morbis remedio existunt, junctim suspecti ac venena evadunt. BOHN *de experientia fallaci p. m. 659.* Lapis haematites, sibi relictus, haemorrhagiis prout cunctis remedium efficax existit; ita, in potiuncula v. g. aceto maritatus, vitriolicam texturam, ad vomitum urgentem recipit. *ibid. Petroselinum,*

num, tradente BOYLEO, ophthalmicum insigne, si aliis inter-  
 misceatur, oculis male se habentibus, sive interne, sive ex-  
 terne applicatum, intensiores dolores ac inflammationem  
 concitat: *ibid.* Lignum Sanctum cum vino decoctum, nocet po-  
 tius, quam prodest, in lue venerea, ita ut ANTONIVS GALLVS  
 non vereatur dicere: *quid vino cum ligno sancto convenit? nempe  
 propemodum quod cicuta,* Si enim vinum cum cicuta potetur, perimit  
 quam citissime, *conf. ejus liber supra citatus cap. 8.* qui in primis op-  
 positus esse videtur ALPHONSI FERRI, Neapolitani, libro, *de exhibi-  
 bendo vino ex ligno sancto*, in Aphrodisiaco Luifiniano p. 446. & c.  
 obvio. Neque vero adeo mirari hæc omnia quispiam de-  
 bet. Vel solus enim usus vel potius abusus sacchari, quocum  
 hodie fere omnia medicamenta pro delicatulis commiscen-  
 tur, hoc affatim docet, quippe quod, tum in certis subjectis,  
 tum in certis morborum generibus, noxivum omnino est.  
 Ita radix ireos aquaticæ, in diarrhoea ac dysenteria debito  
 tempore exhibita, optima est: vim tamen omnem illico a-  
 mittit, non secus ac reliqua antidysenterica, si tantillum ad-  
 datur sacchari, *judice RIVINO in Fasciculo suarum dissertationum  
 p. 63. & 64. conf. & SCHRADERI Disp. de medicamentorum vehiculis  
 §. 14. 15. it. Praxis Stabliano-Pelargiana p. m. 780.* ubi abesse ju-  
 bentur potiones saccharo edulcoratæ in diarrhoea febrium  
 malignarum torminibus stipata. Porro purgantia saccha-  
 rata atque mellita hystericis facillime hypercatharsin exci-  
 tant, ut recte monet LENTILIVS *Eteodrom. p. 358.* Passiones  
 quoque hystericas non infrequenter a saccharatis excitari,  
 crebra edoctus experientia RIVINVS *l. c.* ostendit, ridetque i-  
 deo *pulverem hystericum August. & contra abortum*, in quibus  
 saccharum non superaddi, multis religio est. *ib. p. 123.* Verissi-  
 mum itaque & de saccharo est, quod LEONARDVS BOTALLVS  
 in libro *de Medici munere* dicit: *Non raro evenit, ut cum offi-  
 ciosissimi esse volunt, eo tunc sint maxime noxii.* Multi quidem sibi  
 cupiunt Thessalos, qui deliciis subscribant decumbentium,  
 & metam gerendorum voluptatem sibi proponant, Sed vo-  
 lu-

luptati salus præferenda, utile dulci. Omne tamen tulit punctum, qui hæc commode miscere potest.

§. XIII.

Dum ergo ex mictopharmacomania, ut hucusque ostendimus, dubius ubique oritur medicamentorum effectus; quid mirum, si *præcipuum medicine fulcrum, experientia, hinc corruat.* Si enim omnis doctrina de materia medica inde evertitur, ita ut dubius medicamentorum reddatur effectus, eaque vel fiant otiosa & elanguida, vel alienam, immo noxiam sæpius induant qualitatem & naturam; quis unquam de certa, inter perpetuum compositorum usum, gloriari poterit experientia? Æque sane inepte hoc fieret, ac si quis, qui plures globulos in unum passerulum evibravit, dicere vellet, quinam præcise ex iis aviculam illam trajecerit. Quin potius illi, qui in morbis perpetuæ variorum medicamentorum indulget compositioni, quam non immerito HELMONTIVS in *Dispe. satorio moderno* §. 23. *ignorantia & incertitudinis proditricem* nominat, idem evenire debet, quod Terentiano seni, qui, cum in filii sui causa plurimos accersisset advocatos, eosque inter se pugnantes deprehendisset, *incertior, inquit, multo sum, quam dudum.* Hac de re cum vera loquatur BOHNIVS; non possum non verba ejus in medium afferre: *Dubia, inquit, evadunt experimenta therapeutica per magnas compositiones adornata, non tantum, quod harum, officinalium æque ac magistralium dictarum, magmata ex ejusmodi aliquando simplicibus congerantur, quorum pauciora forsitan scopum feriant: quin immo unum horum alterius, primarii etiam vis, virtutem obtundat, castret ac destruat: sed ignarum quoque dimittant sui administratorem, cui imprimis simplicium emolumentum ac noxam in acceptis referat? sicque confusanearum ejusmodi mixturarum & longarum formularum usus impedimento existat, vires simplicium medicamentosas accuratius disquirendi ac dignoscendi &c. de experientia fallaci p. m. 658.*

§. XIV.

Non tantum vero Mictopharmacomania, in se considerata, fallacem parit experientiam; sed etiam hoc facit per accidens, quatenus scilicet sic pharmacopœis, qui ex philargyria conscientiae legibus solutos se esse putant, quicquid lubet, patrare licet. Ansa siquidem datur illis, ut facile quid pro quo substituere queant. Sicut autem non adeo Argus ullus esse poterit medicus; formulas medicamentorum, juxta quarum normam hæc in pharmacopœis præparari debeant, præscribens, ut tales dolos ubique possit detegere; ita eundem vel ex hoc capite de genuina firmaque experientia gloriari non posse, in aprico est. *conf. BOHNIVS de officio medici duplici p. 451.* Absit vero, talia de piis, probis honestisque pharmacopœis vel cogitare velle. Sed miraculi loco esset, si inter hoc solos, quæ in quacunque arte adsunt, non reperirentur carcinomata & ordinis sui opprobria. Interim, quo magis medicamenta fiunt composita; eo majores fraudes ab hujusmodi farinae pharmacopœis committi posse, est in propatulo. Composita enim nemo facile judicet: utrum singula horum ingredientia fuerint admixta eaque rite parata, an vero alia substituta? Unde non sine rei forte veritate inquit celeb. RICHTERVS, Academiae nunc Göttingensis decus: *Si id, quod componitur, decem pharmacopœis committas, forte a singulis aliud obtinebis. conf. ejus Diss. de medicina firmis certisque fundamentis innixa p. 23.* Quæ cum ita sint, fallax hinc quoque oriatur experientia necesse est, ut adeo verissima sint verba PAVLI AMMANNI: *dum pharmacopœi quid pro quo substituunt, non mirum erit, si quid pro quo juvet, id est, nihil. vid. ejus Parenesis ad discipulos p. 463.*

§. XV.

Quoniam itaque fallax ex Mictopharmacomania proficiscitur experientia, tota hinc; corrumpat medendi methodus necesse est,  
dum

dum morbi hac via redduntur irregulares, curationesque prod-  
eunt incongruæ ac æquivocæ. Quemadmodum enim mor-  
bi hodie non amplius fere absolvunt periodos suas, per leges  
sibi inditas, naturales & constantes, sed prout a diversis me-  
dendi methodis varie fuerunt tractati; ita quoque idem ex  
mictopharmacomania oriri, nemo facile negaverit. A com-  
positis enim medicamentis effectus non est simplex, sed mix-  
tus, immo plane heterogeneous, præsentis morbo subinde con-  
trarius, adeo ut illa ex una quidem parte medici & naturæ  
intentioni, serviant; ex altera vero motus inferant plane in-  
convenientes; unde morbus non tantum juxta propriam non  
amplius decurrit indolem; sed etiam symptomata prodeunt  
plane nova, quorum origo ex morbi ingenio deduci non pot-  
est, quæque ideo *adventitia* BAGLIVO nuncupantur, de quibus  
pluribus conferatur *ejusdem Praxis medica p. 9. 158. & 181.* Quæ  
cum ita sint, quid mirum, si morbi hinc non tantum exacer-  
bentur ac graviores reddantur, variasque transmutationes,  
olim, cum magis simplicia ex lege artis adhiberentur reme-  
dia, non observatas, subeant; sed etiam curationes æquivo-  
cæ & incongruæ in conspectum prodeant. Pulchra itaque  
sunt verba BALTHAS. SCHEIDERI, qui ita: *Etsi plures plura in mor-  
bis composita habeant & commendent; parum tamen hæc nobis placent,  
cum sæpissime duobus aut tribus simplicibus multo majora efficiamus,  
quam si totum Dioscoridem agro propinaremus. Accedit, quod ipsi illi  
compositores sæpe causam reddere nequeant, cur hoc vel illud ingre-  
dientium addatur. Immo & multi e tot simplicibus confusis resultans  
semperamentum ignorant; qua re non modo ruditatem & stoliditatem*  
ostens-

ostendunt; sed etiam sepe morbum longius, immo & alium producunt  
 & excitant, vid. THEOPHILI BONETI *Mercurius compitalitius* p. 969.  
 Interim sufficiant hæc, de Mictopharmacomania vanitate  
 in medium allata. Plura adduci potuissent: sed consulto ab-  
 rumpimus hoc filum, ac potius transimus ad aliud, demon-  
 straturi, majorem utique certitudinem ex usu simplicium me-  
 dicamentorum in medicina esse sperandam.

